

senti vita est inseparabile ab exercitio virtutum et bono morali; *e.* officium quodlibet fieret irritum, et periret omnis moralitas.

**Scholion.** Fieri potest ut necessitas prius hypothetica, postea fiat simpliciter absoluta. De ea tunc valent quae de absoluta dicuntur.

### Propositio 61.

Ab officio naturali negativo, quod versetur circa materiam intrinsece et absolute malam, aut solius Dei dominio subjectam, nulla necessitas eximere potest.

**Notiones.** Officii materia intrinsece et absolute mala ea est, quae ordini morali repugnat natura sua, ergo in omni possibili casu, v. c. blasphemia, perjurium.—Materia solius Dei dominio subjecta ea est, quae ordini morali ex voluntate libera Dei repugnat quamdiu Deus jure suo non cesserit.

**Prob.** Ut necessitas ab officio eximat, debet ea talis esse ut tollat inordinationem moralem rei vetitae; — *a.* 1) nulla necessitas, scilicet accidens rei vetitae, potest esse talis ut rei essentiam intrinsecam mutet; — 2) neque ulla potest necessitas, scilicet malum creaturae imminens, talis esse ut illud a Dei dominio subtrahat quod sub hoc solo dominio natura sua erat; *e.*

**Objic.** Qui medium rejicit sine quo vita servari non potest, ille seipsum occidit (quod est illicitum); *a.* aliquando unicum tale medium est violatio officii naturalis negativi; *e.* in tali casu aut violatio haec est licita, aut etiam utrumque erit licitum (cfr. supra propos. 51. Schol. 5). — *R. a) d. maj.* qui medium alioquin non intrinsece malum, nec a solo Deo pendens..., *c;* secus, *n.* (non ipse se occidit, sed patitur mortem sub Dei providentia); — *tr. min.* — *R. b) tr. maj.* — *n. min.* (tale medium est moraliter nullum medium, quum privet bono absolute necessario consequendo, quod impossibile est postponere bono temporali inferiori, scilicet vitae).

### Propositio 62.

Ab officio naturali positivo eximit per se necessitas extrema vel gravis; sed per accidens aliquando non eximit.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (per se).** Praetermissio actionis honestae mala non est nisi quando ea exercenda actu est; *a.* lex naturalis non positive determinat per se tempus quo officium sit praestandum; *e.*

**Prob. min.** Lex naturalis per se non praecipit nisi ut servetur ordo rationis, i. e. ut homo practice agnoscat relationes quae inter ipsum et varia entia vigent; eos nimirum actus ponat quorum omissione contineretur negatio practica alicujus talis relationis; — *a.* quod homo propter gravem necessitatem exercitium hujus actus differat ad aliud tempus, vel imo in casu particulari prorsus omittat, id non continet per se illum hominem eam relationem agnoscere noluisse, et negare velle, sed tantum abstinere hic et nunc ab actuali exercitio practicae agnitionis; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (per accidens).** Fieri potest ut *peculiaris circumstantia* temporis ita officium naturale imponat, ut ejus omissio *tunc* negationem importaret alicujus relationis..., v. c. si officii omissio redundaret in injuriam Dei, in grave damnum reip., in poenam innocentis, in mortem miseri...

### Propositio 63.

Ab officio adventitio ex contractu vel dispositione hominum orto, eximit sola necessitas extrema, si ex tali exemptione grave damnum alterius sequatur; eximit etiam necessitas gravis si nullum aut leve damnum alterius sequatur.

**Stat. quaest.** De natura et vi contractus non est hic locus disputandi. Supponimus conceptum vulgarem.

**Prob.** In contractu et dispositione hominum, unde oriatur officium, semper ea includitur tacita conditio, ut non valeat nisi salvo naturali ordine; — *a.* naturalis ordo postulat: 1) ut quoties ex officii observatione proveniat subjecto grave damnum, vigeat tamen officium si termino aequale vel majus periculum immineat, — 2) non vigeat, si termino nullum vel leve periculum; — 3) ut quoties subjecto extremum malum immineat, non vigeat; *e.*

**Ad min. 1 part.** In subjecto existit obligatio, neque eam destruere vel elidere potest proprium grave periculum, quod ipsum eliditur gravi periculo alterius in cujus favorem existit obligatio.

**Ad min. 2 part.** Grave periculum subjecti non eliditur levi vel nullo periculo termini.

**Ad min. 3 part.** Contra rationis ordinem, ac proinde nullus esset contractus quo quis se obligaret ad vitae vel aequalis boni periculum subeundum in alterius favorem.

**Coroll.** Ergo potest quis, ne fame pereat, panem alterius surripere; hostem imminetentem fugiens, segetes alterius contere; servus ne obediendo pereat, actum aliquem negare; conjux ne gravem contrahat morbum, a viro discedere, etc...

### Propositio 64.

Ab officio adventitio erga Deum ex libera hominis dispositione orto, et ab officio quolibet adventitio ex lege positiva, eximit per se necessitas gravis; sed per accidens etiam extrema necessitas aliquando non eximit.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (erga Deum).** Officia illa ex libera hominis dispositione, tantam vim habent quantam voluit homo sic disponens; *a.* homo sic disponens semper praesumitur citra grave damnum voluisse obligationem; *e.*

**Ad min. 1)** Ita passim istae hominum dispositiones intelliguntur, — 2) alia dispositio foret generatim temeraria et contra rationem.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (ex lege positiva).** Lex positiva, sive divina sive humana, versatur circa materiam non necessariam, et imponitur ad bonum publicum;

*a.* ita legislatoris intentio debuit esse ut cum gravi subditorum detrimento lex non obliget; *e.*

*Ad min.* Secus lex non jam ad bonum publicum sed ad malum imponeretur.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*sed per accidens*). Fieri potest: 1) ut ad altiorem finem et ordinem attingendum, et altioribus mediis, libere sibi homo assumat officium erga Deum, absolute sine exemptione, v. c. votum castitatis clericorum et religiosorum, votum abstinentiae carthusianorum, clarissarum, trappistarum, etc; — 2) ut officii observatio nequeat omitti sine gravi aliorum scandalo, vel expresse religionis contemptu, v. c. si in odium religionis imperatur violatio; — 3) ut commune reip. bonum exigat officii observationem etiam cum periculo vitae, v. c. a milite in bello.

### Propositio 65.

**Ab officio non eximit legis inutilitas respectu aliquorum, quamdiu finis legis permanet respectu communitatis.**

**Prob.** Lex fertur ad bonum commune; *a.* ad bonum commune requiritur ut legem servare omnes teneantur, etiam si quis sibi eam inutilem aestimaret; *e.*

*Ad min.* 1) Facilius sibi quisque legem inutilem esse fingeret; 2) facilius saepe singuli aliqua sibi conficerent adjuncta, ut reapse suo cuique modo lex inutilis fieret; — *a.* ita omnis lex elidi posset, et ordo omnis periret; *e.*

### QUAESTIO 3.

#### De comparatis jure et officio.

### Propositio 66.

**Omni officio respondet jus in subjecto obligato; et omni officio juridico unius respondet jus in altero.**

**Stat. quaest.** Quaeritur saepe, apud recentiores praesertim, utrum jus an officium sit natura prius altero. — Huic quaestioni in sequenti propositione respondere volumus; sed ad facilitatem et conceptuum claritatem praemittimus praesentem intercalarem propositionem de juris et officii correlationibus.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*in subjecto obligato*). Jus est potestas moralis inviolabilis aliquid faciendi, omittendi, vel ab alio exigendi; *a.* omni officio respondet in subjecto obligato talis potestas moralis inviolabilis; *e.*

*Ad min.* Qui habet verum officium aliquid praestandi, eo ipso debet etiam potestatem habere illud praestandi; *a.* ut haec sit potestas talis ut vere officio, i. e. obligationi, satisfaciatur, debet ea esse talis ut impediri nequeat quin eo ipso ordo moralis turbetur; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*in altero*). Officium juridicum est officium quod sine lae-

sione alterius (scilicet termini) negligi non potest; *a.* tali officio respondet in altero (in termino) jus exigendi rem per officium ab alio praestandam; *e.*

*Ad min.* Cfr. prop. 58.

### Propositio 67.

**Jura hominum et officia correspondentia sunt natura simul; neutra vero alteris priora.**

**Stat. quaest.** 1) Ad propositam superius quaestionem, respondent rationalistae, aliique multi, omne officium esse ex jure, jus autem esse absolute prius officio; scilicet: *a)* officium quodvis alicujus personae oriri ex jure termini hujus officii; *b)* hominem habere officia quia habet jura.

2) Respondent plerique catholici, omne jus esse ex officio, officium autem esse prius jure; scilicet: *a)* jus quodvis hominis niti officio termini illius juris; *b)* hominem habere jura quia adstringitur adimplendis officiis; *c)* excipiunt jus divinum, quod omni prorsus officio prius sit.

3) Respondemus medium tenentes: *a)* jus divinum absolute prius esse non solum officiis sed et juribus quae in homine reperiuntur; quum ex potentia divina, et voluntate, oriatur ipsa lex naturalis, ex qua omne officium et jus humanum derivanda sunt; — *b)* jura hominis esse cum respondentibus ejusdem officiis natura simul; — *c)* jus alicujus subjecti esse natura simul cum officio correlativo in termino illius juris. — Ex his primum jam non ultra probandum videtur; posteriora duo sint duae partes probandae.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*cum officiis ejusdem*). Unicus modus hanc quaestionem certo dirimendi est, ut ad officii et juris correlati fontem respicientes, inquiramus quid et quomodo et quo ordine ex illo fonte dimanet; — *a.* 1) juris et officii fons communis est lex, sive naturalis sive positiva; — 2) lex primo et absolute intendit ordinem servandum, deinde media ad hunc finem efficacia producit; — 3) media haec non sunt efficacia nisi simul et per modum unius facultates atque instrumenta ordinentur, officium iis utendi imponatur, jus illis utendi concedatur; *e.*

*Ad min.* Poterit quidem aliqua subordinatio excogitari juris ad officium, sed haec erit prioritas et posterioritas rationis, non naturae; nam debet totum per modum unius dari a parte rei, ne sit inefficax, ne proinde nullum.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*cum officio alterius*). Ipsi conceptus juris in uno et officii correspondentis in alio, ita connexi sunt ut alter sine altero haberi nequeat; *a.* quae talibus conceptibus exhibentur, sunt simul ratione, ac proinde etiam natura; *e.*

*Ad maj.* Jus est facultas moralis inviolabilis, i. e. involvens officium correspondens in alio, non impediendi illius exercitium; — *officium* versatur circa ipsum objectum juris correspondentis in alio, ut ordo servetur. — Poterit quidem jus, si inadaequate sumitur prout est potestas moralis, abstrahendo ab ejus inviolabilitate, concipi tanquam officio prius, quum prius sit esse quam esse inviolabile; sed haec erit prioritas rationis, non naturae.

## Propositio 68.

Existit ordo juridicus naturalis proprie dictus, qui et pertinet ad ordinem moralem, et fundamentum est ordinis juridici positivi.

**Notiones.** Ordo juridicus est complexus jurium, officiorum juridicorum, et legum juridicarum, i. e. quae illa jura concedunt, illa officia imponunt.

*Naturalis* hic non opponitur *supernaturali*, sed *accidentali* seu *adventitio*.

**Stat. quaest.** 1) Hanc nostram doctrinam probare nemo inter antiquiores cogitabat, sed tanquam claram admittebant. Eam defendere et nos puderet nisi a recentioribus pluribus negata fuisset.

2) Alii scilicet negant existentiam jurium et officiorum quae sint ex lege naturali, sed omnia dicunt oriri ex lege positiva civili (Hegel), aut ex consensu communi practico omnium hominum vel gentium (schola historica : Savigny, Eichhorn, Niebuhr).

3) Alii admittunt existentiam jurium et officiorum ex natura humana (quae proinde naturalia dicunt); at ita explicant ut nec ex lege naturali oriantur, nec cum moralitate, morali obligatione, morali lege, ullam connexionem habeant, atque oriantur a subjectivis necessariis postulatis, i. e. judiciis, dictaminibus hominum (Kant).

4) Haec communiter, variis quidem gradibus, admittunt omnes hodierni fautores liberalismi. Sunt aliqui etiam, qui alioquin catholicae veritati adhaerere student, qui saltem admittunt leges humanas positivas obligare, concedere jura, imponere officia, non quidem contra legem naturalem, sed saltem praeter eam et independentem ab ea.

5) Tres ergo partes sint probandae, singulae contra singulas illorum classes.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*existit naturalis proprie dictus*). Teste sensu communi hominum, evidens est, etiam abstractione facta ab omni lege positiva : 1) *jura* homini ingenta esse, quae cum natura naturali oriantur, et ante omnem legem positivam, sive tempore sive natura prius, existant, v. c. jus conservandi vitam et sanitatem, se perficiendi, Deum colendi; et ea jura esse ita determinata et certa, ut etiam vi physica defendi possint; — 2) *injurias* esse proprie dictas, i. e. juris violationes, aliquas etiam extra omnem ordinem socialem, v. c. occisionem alterius pro lubitu factam, latrocinium; — 3) *officia* etiam juridica proprie dicta haberi, ante omnem ordinem socialem, tum affirmativa tum negativa, v. c. misero in extrema ejus necessitate subveniendi, foeneratori quod suum est reddendi, libertatem personalem alius non violandi; — 4) nec ipsis *legibus positivis*, nec *superioribus*, in omni re esse obediendum; quum fieri possit ut leges sint injustae quia contra legem naturalem altiore, vel ut domini fiant tyranni quia offendant contra jus naturae altius; — *a.* ex his necessario apparet existentia ordinis juridici proprie dicti naturalis; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*pertinet ad ordinem moralem*). In illo ordine juridico existunt vera jura quae vere morales facultates inviolabiles sunt, et vera officia quae vere morales obligationes sunt (cfr. 1 part. prob.); *a.* hoc ita esse nequit nisi vere moralis sit totus ille ordo juridicus naturalis; *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*fundamentum ordinis positivi*). Ordo juridicus positivus : 1) nullum habet valorem, quoties contra ordinem naturalem offendit, — 2) quoties ordini naturali est conformis, ideo valorem habet quia est conformis, — 3) ipse totus quantum non est nisi ordinis naturalis complementum et determinatio varia, ac quasi pars mutabilis integrans; — *a.* ex his necessario sequitur ordinem juridicum positivum fundari in ordine naturali; *e.*

**Prob. maj. 1 part.** (*quoties contra*). Ordo juridicus ordini naturali contrarius imperaret vel permetteret id quod est intrinsece malum morale, aut vetaret id quod est absolutae obligationis moralis; *a.* ita nullum haberet valorem; *e.*

**Prob. maj. 2 part.** (*quoties conformis*). Ordo juridicus positivus ideo validus est quia ab auctoritate legitima circa res ei competentes imponitur, et quia huic auctoritati in his rebus parendum est; *a.* non aliunde constat huic auctoritati in his rebus esse parendum, quam ex ipsa lege naturali, imperante hunc ordinem sibi conformem esse servandum; *e.*

**Prob. maj. 3 part.** (*est complementum...*). In lege naturali : 1) praeter multa jura et officia clara, determinata, certa, sunt et alia multa indeterminata, dubia, controversa; — 2) sunt etiam alia quae inter multos homines in societate non possunt singulis relinqui exercenda, exigenda, quin saepe turbetur ordo et pax; — *a.* legum positivarum est : 1) jura et officia singulorum, tum privata tum publica, declarare, determinare; — 2) brachio publico eadem ordinate et pacifice urgere, vindicare; — 3) idque totum varie pro variis personarum, temporum, locorum adjunctis diversificare; *e.*

**Objic. 1<sup>o</sup>** Jus (facultas inviolabilis) necessario supponit hominem constitui in societate civili, in consortio sociali cum aliis hominibus quibus incumbat obligatio officii; *a.* ita jus oritur ex lege civili; *e.* — R. a) *tr. maj.*; — *n. min.* (non valet illatio : post hoc, ergo propter hoc, seu ex hoc). — R. b) *d. maj.* supponit coexistentiam, realem vel possibilem, aliorum hominum, *c.*; vinculum sociale inter eos, et leges civiles supponit, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Reverentia juris personae alicujus procurari nequit nisi in societate civili, scilicet ab auctoritate publica, quae omnibus juribus tutandis prospiciat; *e.* — R. *d. ant.* plerumque vis physica jus exigendi deficiet, *c.*; ipsum jus, seu moralis potestas deficiet, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Finis jurium homini collatorum est bonum societatis humanae; *a.* huic bono prospicere est auctoritatis publicae; *e.* — R. *n. maj.* (finis est ut salva sit dignitas humana et libertas personalis cujusque ad finem suum ultimum).

**Objic. 4<sup>o</sup>** Conveniens determinatio et limitatio jurium apte fieri nequit nisi ab auctoritate publica quae omnibus aequae prospiciat; *e.* — R. *d. ant.*

utilissima vel imo necessaria est auctoritas ad multa jura determinanda, *c*; ad omnia jura naturalia determinanda et creanda, *n*.

**Objic. 5<sup>o</sup>** Omnis ordo juridicus est ab ordine morali alienus et independens; nam 1) lex juridica est independens ab opinionibus moralibus et conscientia subjectiva;

2) officio juridico satisfit per externas actiones, sive bona sive mala sit intentio interna;

3) officium juridicum vi extorqueri potest; *a*. moralitas actionum (pendens ab intentione) extorqueri non potest;

4) jus est objectivum; *a*. moralitas est subjectiva;

*R. n. assert.* — *ad prob. 1<sup>m</sup> : tr. ant. sed n. supp.* (de moralibus nihil objectivi et certi, solas opiniones subjectivas haberi).

*ad 2<sup>m</sup> : c. totum ; — n. cons.* (adest officium juridicum ad actum externum praestandum; quacumque mente fiat, juri alterius satisfit; sed inde non sequitur nullam esse obligationem moralem, vel verum jus esse posse ad rem illicitam).

*ad 3<sup>m</sup> : c. maj. — d. min.* moralitas formalis, subjectiva, *c*; opus materiale quod sit bonum et debitum, *n*. — *n. cons.* (sequitur ordinem moralem et ordinem juridicum non esse omnino identicum: ordinem juridicum pertinere ad partem externam ordinis moralis; non sequitur eum nullo modo pertinere ad illum, sed esse prorsus separabilem, imo posse contrarium esse).

*ad 4<sup>m</sup> : d. maj. i. e.* jus non unice ab arbitrio subjecti pendet, sed habet normam objectivam, legem, *c*; *i. e.* jus non est facultas moralis in subjecto, *n*; — *d. min. i. e.* moralitas caret objectiva norma legis, *n*; inest in subjecto humano, *c*.

**Objic. 6<sup>o</sup>** Perniciosa est confusio juris et moralitatis; *e*. — *R. d.* confusio proprie dicta, distinctioni opposita, *c*; improprie dicta, reali separationi opposita, *n*.

## CAPUT II.

### DE OFFICIIS ERGA DEUM.

#### Propositio 69.

**Religionis officia ceteris hominis officiis origine et dignitate praestant.**

**Notiones** 1) *Religio* subjective sumpta est virtus qua homo inclinatur ad agnoscendas practice relationes suas erga Deum. — Objective sumpta igitur est complexus actuum quibus homo practice agnoscit ordinem inter se et Deum vigentem.

2) *Officia religionis* proinde sunt officia illa quibus erga Deum tanquam terminum proprium adstringimur. Haec oriuntur ex ipso ordine et relationibus quibus cum Deo connectimur, ac lege naturali firmantur et sancuntur.

3) Sunt autem illae relationes agnoscendae: a) hominis ad causam primam

totius sui esse efficientem, b) ad ultimam suam causam finalem, seu ad suum summum bonum, c) hominis intelligentis ad summum verum, d) viatoris ad providum gubernatorem suae viae.

**Stat. quaest.** Dari officia religionis vera, jam supra, prop. 59 ostensum est; negant positivistae et materialistae, rationalistae aliqui, et sectatores moralis independentis. Nos hic implicite quidem idem ostendimus iterum, sed explicite qualia sint illa officia addimus.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (origine).** Officia religionis oriuntur ex relationibus hominis ad Deum; *a*. haec sunt natura anteriores omni alia relatione hominis sive ad seipsum sive ad alios; *e*.

*Ad min.* Hae relationes essentialiter includuntur in notione ontologica hominis, ut entis contingentis et participati, intelligentis et liberi; *a*. haec notio ontologica hominis est prior omni alia relatione hominis (nam relatio nequit esse nec concipi, nisi praeconceptis terminis relationis, ac proin nisi praeconcepta terminorum notione objectiva seu ontologica); *e*.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (dignitate).** Officia hominis eo praestantiora sunt 1) quo terminus eorum est dignior in se, 2) quo intimius connectitur cum hominis fine ultimo, 3) quo magis necessaria et universalis est illa relatio ex qua exsurgunt officia; — *a*. hic 1) terminus est dignissimus, 2) est ipse identice finis ultimus, 3) relatio est omnium maxime necessaria (essentialis), et universalis (omnium entium possibilium); *e*.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Deus non indiget obsequiis creaturae; *e*. — *R. c. ant.*; — *n. cons. et supp.* (causam vel mensuram officiorum esse Dei indigentiam).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Relatio hominis ad Deum est relatio effectus ad causam; *a*. haec prior est relatio identitatis cum seipso; *e*. — *R. d. maj.* ad causam qualemcumque, *n*; ad causam primam totius esse, *c*. — *c. d. min.* (prius est esse, quam esse idem secum; sed non prius est esse, quam accipere totum suum esse).

#### Propositio 70.

**Tenetur homo intellectum suum perficere per cognitionem Dei et earum veritatum quae ad finem consequendum necessariae sunt,**

**Prob.** Homo habet officia erga Deum servanda per agnitionem practicam suarum relationum ad eum; *a*. 1) una relatio agnoscenda, non minus quam aliae, est relatio suae facultatis naturalis, intellectus; — 2) nisi homo prius cognoscat terminum Deum, et media, nullam aliam poterit agnoscere; *e*.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo tenetur homo agnoscere religionem naturalem.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo religio naturalis vera est omnibus sufficienter cognoscibilis, nam impossibile Deus justus, sapiens, non juberet.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Lex naturalis non obligat nisi voluntatem; *a*. veritates illae spectant ad intellectum; *e*. — *R. tr. maj.* — *d. min.* formaliter seu elicitive, *c*; imperative, *n*. (jubetur voluntas imperare intellectui studium et cognitionem).